

est specialis Revisor) utrum nimirum *summarius* ad calcem supplicæ adjectum & cui Papa gratiam annuendo se conformat, uti supra monuimus, sincerè exprimat totum contentum supplicæ.

Si primus Revisor deprehendat aliquid contineri in supplica non expressum in *summario*, subinde ipse illud è supplica eradit, subinde verò eam supprimit: interdum verò Datarium aut Subdatarium adit, atque cum illis super defectu supplicæ tractat: Et quidem hi judicant, utrum non obstante illo defectu expediri queat: quia Primarii hi Officiales censendi sunt *Organum Papæ*, & quia quotidie cum Papa agunt, judicantur scire intentionem Papæ. Dum ergo in casu dubio hi significant primo Revisori ut pergat, hic signat ponendo primam litteram sui nominis ad initium *summarii*.

XVI. Hic Revisor pro ulteriore expeditione mittit Signaturam ad Officium *parvæ Datæ*, qui in calce ipsius *summarii* ponit *parvæ Datæ*, quæ propterea dicitur *parvæ*, quia paucis verbis inscribitur, *S. M. M. Kalendis Martii anno 4.* eaque postmodum per Datarium extenditur; cujus proprium officium est, supplicas *Datari*; inò ipsa *parvæ Datæ* (uti observat Pyrrhus Corradus in praxi Dispensationum *lib. 2. cap. 7. num. 36.*) tantum inservit in signum memorie super gratia concessa vel concedenda, ut ad datam illius temporis retrorahatur.

XVII. Post positam *parvæ Datæ*, transit Signatura ad Secundum Revisorem, qui revidet rursus quod à primo jam revisum est; & si nullum defectum reperiat, ipsamque Signaturam admittendam judicet, illam signat apponendo suum nomen infra nomen primi Revisoris, exprimendo primam nominis sui litteram.

XVIII. Si materia supplicæ sit subiecta iuribus *Componende*, ut sunt Prioratus titulares, Abbatie, Coadiutorie, Indulge &c. tunc ab Officiali *parvæ Datæ* Signatura transit per manus illius, qui *Componenda* Officialis vel Administrator est: eoque casu unus Revisorum ponit litteram C. vel *Comp.* quo infirmatur, esse *componendum* antequam Datarium ponat magnam *Datam*. Si autem materia non sit subiecta *Componenda*, & requirantur Bullæ, tunc ponitur, *Expeditur littera*.

In variis materiis iura non adeo fixa sunt, quin frequenter super iis cum Officiali *Componende* & Datario componendum sit: quod in his materiis spiritualibus, quàm male nonnumquam oleat, nemo non videt.

XIX. Quando Officiali *Componenda* est satisfactum, ponit super supplicam Signaturæ inferius, *Solvit*: atque ab hoc Officiali transit supplica rursus ad Subdatarium, qui nomine seu vice ipsius Datarii ponit magnam datam v. g. *Datum apud S. Mariam Majorem Kalendis Julii anno 4. Pontificatus Innocentii Divina Providentia Papa XII.*

XX. Hac *Data* expedita transit Signatura ad Officium qui dicitur *Missis*; eo quòd mittat Signaturas ad registra.

XXI. Unus ex Registratoribus supplicam registrat, atque in dorso Signaturæ notat librum & folium registri, ac deinde cum ipso registro fert ad unum è quatuor Magistris registorum, ad *auscultandum*, ut ajunt, *supplicam*; hoc est, videndum, num supplica planè conformis sit registro. Quo facto, hic Magister registri ponit in dorso supplicæ magnum R. & in superiore parte istius litteræ ponit primam litteram sui prænominis, & in calce suum cognomen integrum. Hæc verò littera R. significat, *Registrata*.

Per hunc registrationis actum, ait De Luca, sequi dicitur omnimoda gratiæ perfectio, adeò ut jus quæsitum esse dicatur Gratiato, non autem prius.

XXII. Notandum denique, quod secuto hoc registrationis actu, supplica si ve Signatura dimittatur à Dataria, & consignatur Expeditoris, ut per Officiales Cancellariæ expeditur litteræ, quæ pro gratiæ executione necessariæ sunt, & sine quibus supplicationes, quamvis perfectæ & registratæ, non suffragantur impetrantibus; ob Regulam

Cancellariæ 26. *De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

Observat tamen Joannes à Choquier ad Regulam 34, quando Supplicatio producitur pro declaratione litterarum, & ad probandum circumstantias, & qualitates gratiæ, & an illa sit per *Fiat*, an per *Concessum*.

XXIII. Multum quippe refert, num uno an alio modo signatura sit expedita; quod tamen ex Bulla dignosci nequit: quia Bulla eodem modo expeditur, si ve uno si ve alio modo signatura facta sit.

Si enim unus habeat signaturam per *Fiat*, & alter eodem die habuerit per *Concessum*, illa huic præferetur juxta Regulam Cancellariæ quæ est 34. Innocentii X. & hoc tenore exprimitur: "Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque Beneficio per *Fiat* & *Concessum*, signaturis, ex iis, per *Fiat*, etiam ut petitur, habens, alteri per *Concessum* etiam motu proprio habenti præferatur, etiam si in illa per *Concessum*, prægnantiores, & quantum libet privilegiatæ essent clausulæ." Ideoque bonum est (inquit Rebuffus loco citato num 13.) producere signaturam, tam, alioqui ex Bullæ tenore dignosci non potest. Unde quis cautus esse debet, ut tam Bullam, quàm signaturam conspiciat, & ex illis veritatem elicere poterit.

XXIV. Notandum quod circa *parvas Datas* sit speciale Gallorum privilegium. Mox enim ut Cursor è Gallia attulit supplicas in materia Beneficiali, Bancuarius Romanus supplicam præferat Officiali *parvæ Datæ*, qui *datam* ejus diei quo Cursor advenit, apponit, modo ante mediam noctem illius diei supplica exhibeatur; aliàs diei sequentis; & licet signatura multo post tempore expediatur, semper tamen manet eadem *data*; scilicet quæ posita fuit eo die quo Cursor è Gallia advenit; hocque est particulare Gallis privilegium. Alæ enim Nationes accipiunt signaturas *data* corrente. Vide latius Perardum Gassell in praxi Curia Romanæ.

### CAPUT III.

#### De Pœnitentiaro & Pœnitentiaria.

- 1 Sicuti Episcopi habere Pœnitentiarium, ita & Pontifex.
- 2 Pleraque negotia olim tam pro foro externo, quàm interno per Pœnitentiarium expeditabantur.
- 3 Quomodo erecta Pœnitentiaria?
- 4 Auctoritatem Pœnitentiarum primus restringere cepit Pius Quartus.
- 5 Novam planè Pœnitentiaria formam induxit Pius V.
- 6 Numerum Officialium diminuit.
- 7 Officia Pœnitentiariæ non sunt venalia.
- 8 Primus Magister Pœnitentiariæ est Major Pœnitentiarium.
- 9 Sunt insuper Pœnitentiarum Minores ex diversis Ordinibus Religionum assumpti.
- 10 Hi in communi vivunt subiecti Pœnitentiaro Majori in his quæ Pœnitentiariam spectant.
- 11 Præter hos plures sunt Pœnitentiariæ Officiales; quorum primus est Regens Pœnitentiariæ.
- 12 Quod Regentis officium?
- 13 De Datario Pœnitentiariæ; & qua forma ponat Datum.
- 14 De Procuratoribus Pœnitentiariæ, & quod horum munus?
- 15 Consultores Pœnitentiariæ.
- 16 De Sigillatore Pœnitentiariæ.
- 17 Quis Corrector si ve Revisor.
- 18 De Scripitoribus Pœnitentiariæ.
- 19 Juramentum Officialium Pœnitentiariæ.
- 20 Major Pœnitentiarum quolibet mense Officiales convocat, ad casus occurrentes decidendos.

21 Inter-

- 21 Interdum Papam consulit.
- 22 Negotia ad Pœnitentiariam spectantia.
- 23 Litteræ expediuntur sub nomine Pœnitentiarum Majoris, vel Pœnitentiariæ, in forma commissoria.
- 24 Quibus hæc Litteræ dirigi soleant.
- 25 De qualitate Doctoris seu Magistri in Commissario requisita.
- 26 De qualitate Confessarii requisita.
- 27 Quæ forma concipiatur supplicatio, & commissio.
- 28 Non nisi super occultis impedimentis Matrimonialibus in Pœnitentiaria dispensatur.
- 29 Absolutiones à censuris, etiam non occultis conceduntur; & quæ formæ expediuntur.
- 30 Formula litterarum, quibus absolutio à censuris committitur.
- 31 Omnia gratis in Pœnitentiaria expedienda.



I. Uemadmodum Episcopi jam pridem habuerunt Pœnitentiarium generalem, ad quem tamquam ad ipsum Episcopum pro absolutione gravium criminum recurrendum haberetur, & quem in perplexis atque difficilioribus casibus inferiores Confessarii consulere (uti supra *tit. 12. cap. 3.* ostensum fuit) ita & Romanus Pontifex jam pridem Pœnitentiarium suum habuit.

Cumque libentibus sæculis plurimum ac censurarum absolutio, nec non votorum atque irregularitatum dispensationes, atque Canonum impedimentorum relaxationes ad Sedem Apostolicam devolute sunt; etiam major & frequentior pro iis obtinendis fuit ad Sedem Apostolicam accedendi necessitas.

II. His verò solus Pontifex examinandis & decidendis insufficientis ea omnia Pœnitentiaro suo plene commisit; idque primitus, uti notat Cardinalis De Luca, tam in foro externo, quàm interno; adeò ut pleraque negotia, quæ hodie per *Datarium* & *Secretarium Brevium* expediuntur, concederentur per organum Pœnitentiariæ; ita ut tunc temporis non esset necesse super dispensatione v. g. Matrimoniali, pro foro interno recurrere ad Pœnitentiariam, & pro foro externo ad Datarium, quemadmodum hodie fieri debet.

III. Verùm cum tractu temporis plura continuò negotia ad Pœnitentiariam Apostolicam devolverentur, tandem necesse fuit, alios Officiales ei adungere, qui unum quasi cum ipso Pœnitentiaro tribunal constituunt, quod *Pœnitentiaria* dicitur.

IV. Duravit hæc summa Pœnitentiarum auctoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno 1562. Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ edidit, quæ incipit: *In sublimi* 53. in Bull. Rom.

In hac Bulla præfatur Pontifex, quòd ad Pœnitentiariæ Apostolicæ officium considerationis oculis directis, attendit, in Pœnitentiariæ officio, in quo *morum censura*, & *animarum salus præcipuè vertitur* plures & diversos abusos, propter superiorum temporum licentiam & injuriam irrephisse, ideoque hanc præsentem reformationem decrevisse, qua plurimas facultates Pœnitentiaro & ejus Officialibus admittit.

V. Ulterius progressus Pius V. novam planè formam ipsius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata & abolita, induxit per Bullam quæ incipit *In omnibus* 83. in Bull. Romano: "Qua, ait, ipsum Pœnitentiariæ officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis magis conveniunt, exoneratum atque expeditum, dehinc ea quæ *animarum salutem* præcipuè concernunt, *attentius studio prosequatur*."

VI. Functionibus Pœnitentiarum imminutis, consequens erat, ut & Officialium & Ministrorum quoque numerus diminueretur. Unde in citata Constitutione suppresso & abolito magno numero Officialium & Ministrorum, certos ac paucos, qui hoc Tribunal regant, negotiaque ad illud pertinentia expedit, Pontifex designavit.

VII. "Illorum autem omnium officiorum in ipso Pœnitentiaro

tentiariæ officio constitutorum (ait Pius V.) venditionem, aut quamvis aliam voluntariam, tacitam vel expressam, tam ea dimittentium dispositionem expresse prohibemus; sed illa omnia probis & peritis *gratis omnino*, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcumque acceptatione concedantur; quod si secus factum fuerit, quæcumque concessionis de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris vel momenti."

Optandum esset, ut id ad omnia ubique officia, præsertim quæ circa spiritualia versantur, extenderetur; ut scilicet nulla essent *venalia*: notum quippe est illud vulgare: Qui emit, vendere debet.

VIII. Primus Pœnitentiariæ Minister est Pœnitentiarum Apostolicus, qui *Pœnitentiarum Major* dicitur; sique juxta Constitutionem Pii V. officium suum per *seipsum* exercere debet; quare, ait, *fit Presbyter Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor*.

IX. Præter Pœnitentiariæ majorem sunt insuper in tribus Patriarchalibus Ecclesiis Urbis Pœnitentiarum *minores*; qui ex diversis Religionibus assumuntur. In *Lateranensi* Basilica Religiosi Ordinis Minorum Observantium reformatorum. In *Vaticana* Societatis Jesu, In *Liberiana* si ve *S. Mariæ Majoris* Ordinis Prædicatorum. Illi omnes confessiones excipientes, in signum majoris potestatis, *virgam* in manibus tenent, quibus poenitentes tangere consueverunt.

X. Hi respectivè in domo Basilicæ propinqua sub obedientia unius eorum, qui superior deputatur, regulari modo, tamquam in claustris vivunt; atque in pertinentibus ad hoc, manus, ait Cardinalis De Luca, sunt subiecti Pœnitentiariæ, ejusque visitationi & correctioni; in his verò quæ concernunt disciplinam regularem sunt subiecti Prælato *procurator* Religionis.

Hic obiter nota notabilem regulam in materia exemptionis; nimirum quod concurrente diversa qualitate in eandem personam, illa persona possit esse exempta in una, & subiecta in alia qualitate.

Ad hos minores Pœnitentiaros à Majori Pœnitentiaro mitti solent absolvendi, aut à voto vel impedimento relaxandi, qui in Curia præsentis, absolutiois aut relaxationis gratiam mereri judicantur.

XI. Alia species Officialium est illorum, qui regunt Pœnitentiariam per quamdam speciem tribunalis, audiendo scilicet Supplicationes super petitis absolutionibus & dispensationibus, præcipuè absentium ab Urbe, pro quibus expediendæ sunt litteræ in forma.

Juxta hodiernum Curia stylum, & præactam reformationem Pii V. primus post Pœnitentiarum Officialis est ille, qui vocatur *Regens Pœnitentiariæ*; teneturque ex Constitutione Pii V. esse *Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, vir eximiam doctrinam præstans, casuumque conscientia peritus*, uti & alter Officialis, qui *Datarium* vocatur.

XII. Regens vices Majoris Pœnitentiarum gerit, habens etiam facultatem plures absolutiones & dispensationes, quæ nimirum negari non solent, non consulto *Majore Pœnitentiaro*, concedendi. Has ipse quoque signat, idque per *Fiat*, quemadmodum ipse Pœnitentiarum, sed aliter quàm Papa. Hic enim signat hæc forma: *Fiat ut petitur*; Pœnitentiarum verò aut ejus Regens: *Fiat de speciali*, vel: *Fiat de expresso*; si nimirum, factò prius verbo cum Sanctissimo concedatur gratis, uti observat Marcus Leo in praxi Pœnitentiariæ *parte 1. cap. 1. num. 8.*

XIII. Datarium Pœnitentiariæ in calce supplicationum scribit datam, mensis & anni Pontificatus Pape viventis in hunc modum: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub sigillo Pœnitentiariæ*, si Pontifex in Palatio Vaticano resideat; si verò in monte Quirinali, ponitur: *Apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Idus Julii Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentii Papa Duodecimi anno quarto.*

XIV. Ad sunt præterea in hoc tribunali; uti asserunt Marcus Leo & De Luca, tres Procuratores (quamvis duodum-

dumtaxat assignentur à Pio V.) seu Secretarii in hac materia bene petiti, qui per turnum, ait De Luca, inter se distribuant libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo vel cifra, ut dignoscantur ab his qui negotia gerunt, ipsique Procuratores de seipso efforant supplicationes juxta stylum Tribunalis, quas in Congregatione (de qua mox dicitur) proponunt.

XV. Præterea habet Pœnitentiaria duos Consultores, unum scilicet Theologiæ Magistrum, qui Theologus Pœnitentiarii vocatur, & alterum Doctorem in Decretis.

XVI. Habet insuper suum *Sigillatorem*. "Hic (ait Marcus Leo loc. cit. n. 14. publicum sigillum Sac. Pœnitentiariæ apud se retinet, litteras Majoris Pœnitentiarii nomine expediendas, *intus & extra*, Bullas verò *intus* subscibit tantum post *Correctorem*, subsequenti forma: *Gravissimis ubique P. Rospigiosus*" Hæc ille, cujus tempore Sigillator erat Julius Rospigiosus.

XVII. Corrector seu Revisor est Officialis, qui supplicationes à Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cum necessitas exposcit, corrigi, & pro adimplenti sui muneris signo notulam peculiarem imprimi in extremis Supplicationum paginis: litteras demum omnes in forma Brevis ac Bullas secundum præscriptam supplicationis formam expediendas, & expeditas subscribit.

XVIII. Demum in hoc Tribunali sunt tres Scriptores, qui postquam Supplicatio signata est, de commissione Procuratorum, litteras vel Brevia juxta formam supplicationis scribunt, ut postmodum subscribantur, & claudantur, ac sigillentur, Oratoribus, vel eorum agentibus consignanda.

XIX. Omnes hi Pœnitentiariæ Officiales juramento interposito promittunt, "quod officium suum fideliter exercent, eorumque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum, vel donatum accipient, præterquam salarium sibi constitutum. Secreta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, nunquam cuiquam extra officium revelabunt."

XX. "Major Pœnitentiarius (inquit Marcus Leo cap. 2. num. 4.) semel quolibet mense, & sæpius si necessitas poscat suos convocat. Officiales, unâ cum Procuratoribus, seu Secretariis, per Capellanum ejusdem Pœnitentiariæ; quæ convocatio appellatur Signatura Pœnitentiariæ, eò quod spectantibus Majori Pœnitentiario, prædictisque Officialibus, Memorialia signentur à D. Regente; illorumque interventus graves casus à prædictis Procuratoribus de mandato ipsius Domini Regentis propositos discutit, & cum eorum voto gratias concedit, vel negat."

XXI. Interdum tamen, ut monet De Luca, ubi dubitatur de potestate dispensandi, ipsemet Pœnitentiarius, vel quandoque Regens Papam adit, atque ab eo tam otaculum, quam auctoritatem recipit.

XXII. Negotia quæ cum Brevis sive litteris in forma Brevis expeditis in Pœnitentiaria explicantur, sunt dispensationes super occultis irregularitatibus ex causa homicidii vel illegitimum natalium, aut alterius defectus; ac etiam revalidationes Matrimoniorum contractorum cum impedimento dirimenti, sed planè occulto; item revalidationes simoniarum provisionum, modo simonia sit *occulta*.

Item absolutiones à censuris, præsertim ab excommunicatione ob percussorem Clerici; hocque casu in hoc Tribunali conceditur absolutio, tamen negotium sit publicum, atque excommunicatio judicialiter declarata sit.

XXIII. Porro litteræ ab hoc Tribunali emanantes, semper prodeant sub nomine *Pœnitentiarii Majoris*; aut Sacræ Pœnitentiariæ, idque frequentius in forma commissoria; il est, committendo aliquem in partibus, qui super irregularitate vel impedimento dispenset, & à crimine absolvat.

XXIV. Diriguntur autem alicui Confessario sub hac formula: *Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, Decretorum Doctore ex approbatione ab Ordinario, per la-*

*corem presentium ad infra scripta specialiter eligendo salu-tem in Domino.*

Hæc formula communis omnibus hæc dispensationibus, exprimit qualitates personæ, cui earum executio committitur; sive cui auctoritas dispensandi à Pœnitentiario auctoritate Apostolica specialiter munito, committitur.

Duplex autem in Delegato qualitas exprimitur & requiritur.

XXV. Primò, ut sit *Doctor* Decretorum, vel *Magister* in Theologia, quod est idem (uti bene monet Sanchez de Matrimonio lib. 8. disput. 34. num. 5.) quod in Theologia *Doctor*.

Hinc consequens, has litteras illos exequi non posse, qui in aliqua Universitate publicè Theologiam, vel Jus Canonicum prælegunt & docent, si revera ad *Doctorem* gradum non sint promoti; nec enim Pœnitentiarius has dispensationes committit nisi illis, qui revera hoc gradu sunt insigniti, quia, ait Sanchez loco citato, *publicam Academia testimonium sua peritia habent.*

Hic rursus obiter nota, quomodo Ecclesiæ perniciosè imponant, qui hos gradus inidoneis annuunt.

Uterius inferitur, non posse dispensationes has expediti per Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta quibusdam Magistrorum privilegiis fruuntur, atque in ipso Ordine *Magistri* creantur & evocantur; nisi ipsi verè ad Magisterii gradum in aliqua Academia promoti sint; eò quod ad hos litteræ dirigantur ob publicum Academia testimonium.

XXVI. Secunda qualitas in Delegato requisita, est approbatio ab Ordinario; id est, ut ultra gradum *Doctoratus* sit approbatus ab Ordinario, ut possit excipere confessiones hujus personæ, cum qua est dispensandum. Unde approbatus ad excipiendas confessiones certarum dumtaxat personarum non potest exequi has litteras, si lator earum non sit de numero illarum personarum.

XXVII. Post hæc exprimitur in litteris ipsa Supplicatio Oratoris, quæ pro varietate ejus, quod petitur, varia est.

Subsequitur deinde ipsa commissio dispensandi, quæ pariter diversimode nonnihil concipitur pro diversitate materiæ; adhibita semper cautione, *Audita prius ejus Sacramentali confessione.... In foro conscientie, & in ipso actu Sacramentalis confessionis TANTUM, & non aliter*, neque ullo alio modo; ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciali nullatenus suffragentur; nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, pro processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis late sententiæ laniare teneris, ita ut nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas, quod si eas restitueris, nihil ipsi præsentis litteræ suffragentur."

Hæc ostendunt, quam sollicitè caveatur, ne dispensationes, præsertim Matrimoniales in hoc Tribunali expeditæ ad forum externum extendantur, ut ita frequentius ad Datariam recursum habeatur.

XXVIII. Additur præterea clausula, *Dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit OCCULTUM*; eò quod super solis occultis in Pœnitentiaria, super aliis verò in Dataria dispensationes concedantur: sed de his plura Parte secunda, ubi de Dispensationibus Matrimonialibus expressè agetur.

XXIX. Illud hic observandum, quod licet dispensationes, præcipuè Matrimoniales, non nisi super occultis in Pœnitentiaria concedantur, tamen absolutio à censuris, etiam publicis in Pœnitentiaria sæpius expeditur.

Et quidem si innodatus censurâ ob percussorem v. g. Clerici, *personaliter* ad Curiam Romanam accedat, se primò præsentat Pœnitentiario Majori, vel ejus Regenti, atque ab altero eorum absolvitur; vel juxta stylum con-

consuetum ab eis petit facultatem, ut ab aliquo ex ejus minoribus Pœnitentiariis possit absolvi; qua facultate obtentâ, Pœnitentiarius minorem adit, à quo absolvi petit. Absolutione obtentâ, adire debet unum ex tribus Procuratoribus Pœnitentiariæ, qui conficiat litteras in forma Brevis ad Ordinarium ipsius absoluti dirigendas, quibus Ordinario intimatur, illam in forma Ecclesiæ consueta à censura, esse absolutum; eumque ut talem recipiendum.

XXX. Formulam hanc litterarum, uti & illarum, quibus absolutio à censuris committitur Ordinario, eò quod ipse Orator ad Urbem *personaliter* accedere nequeat, refert & exponit Marcus Leo parte 3. Hoc unum notandum, quod in litteris quæ Ordinario diriguntur, Pœnitentiarius Major titulos Episcoporum, aut Archi-Episcoporum præmittat suo nomini hæc similis formula: *Venerabili in Christo Patri Episcopo vel Archi Episcopo N. Leander Colorado &c. salutem in Domino.*

XXXI. Illud autem (inquit Pius V. in citata Constitutione) sanctè & inviolatè apud officium prædictum (Pœnitentiariæ) volumus observari, ut nihil profus per litterarum confectioem & expeditionem, nec aliâ etiam pro charitate, attamento, cera, capsula, cordalis, aliisque rebus ad ipsam expeditionem pertinentibus exsolvatur."

Unde monet de Luca, omnes expeditiones in Pœnitentiaria concedi *gratis*, absque solutione, ne quidem mercedis Procuratorum & Scriptorum; ideoque aliud solvendum non est, nisi aliquid modicum ipsi Corresponsali; " & ad quod adverti debet (ait De Luca) ne ab iniquis Curialibus, crummarum tortoribus, qui furibus vel grassatoribus assimilari debent, decipiantur, cum assertionem, quod expensas pro hujusmodi expeditionibus facere oportuerit."

## CAPUT IV.

## De Secretario Brevium; &amp; de differentia inter Brevia &amp; Bullas.

- 1 *Olim in Curia Romana nulli erant Secretarii; & quare?*
- 2 *Primus Secretariorum est Secretarius Status.*
- 3 *Quis dicatur Secretarius Brevium?*
- 4 *Quid sit Breve Apostolicum.*
- 5 *Jam pridem Pontifices in signandis litteris privatis usi sunt annulo Piscatoris.*
- 6 *Quid sit Bulla juxta stylum Curia Romana?*
- 7 *Quando inceperint Pontifices litteras plumbo obsignare?*
- 8 *Prima differentia inter Bullam & Breve ex diversitate sigilli.*
- 9 *Secunda ex diversitate membranarum.*
- 10 *Tertia ex diversitate characteris.*
- 11 *Litteræ Pœnitentiariæ, quæ Brevia dicuntur, aliam ab his Brevis Pontificis formam habent.*
- 12 *Quæ negotia per Brevia expediti soleant?*
- 13 *Qua cautio adhibeatur, ne falsitas circa Brevia fieri contingat.*



Nuquo tempore, quemadmodum observat Cardinalis De Luca in Relatione Curia R. disc. 7. nulli erant in Curia Secretarii; quia quæ hodie per Secretarios expediuntur, expediuntur per Vice-Cancellarium, qui erat Secretarius Papæ. At postremis hæc temporibus excessentibus negotiis, plures fuere constituti Secretarii; quæ variè pro diversitate negotiorum & litterarum per ipsos expediuntur.

II. Primus inter illos est, qui vocatur *Secretarius Status*. Hic licet non sit in Ordine Hierarchico Officialium aut Magistratum Papæ, est tamen summæ confidentiæ & auctoritatis, "Atque de factò, ait De Luca, secundum locum occupare videtur in his, quæ concernunt politicam ac etiam in

Van Espen Jur. Eccl. P. I.

parte civilem utriusque status administrationem, dum graviora negotia majoris confidentiæ cum Regibus & Principibus, ac etiam cum Legatis & Nuntiis Apostolicis, per hoc organum junctum cum altero Cardinalis Nepotis, tractantur, & quandoque etiam in civilibus, & Ecclesiasticis negotiis, Ordinariis Locorum, vel Gubernatoriibus, aliisque Officialibus & Magistratibus Status Ecclesiæ, lici, oracula & mandata Papæ explicantur."

III. Secretarius *Brevium* dicitur, per cujus organum expediuntur litteræ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma *Brevium*. Quædam enim negotia expediuntur per litteras quæ *Brevia* Apostolica vocantur, alla verò per *Bullas*.

IV. Breve Apostolicum ita definit Rebuffus: "Scriptura modica in parvis concessa negotiis, in papyro frequenter scribi solita rubea cera *annuloque Piscatoris* sigillata, ac signo Secretarii subscripta." In Praxi Benef. tit. *De Brevis Apostolico*.

V. Jam pridem Pontifices in signandis *privatis* litteris usos fuisse *Annulo Piscatoris*, probat Epistola Clementis IV. ad Petrum Glossum nepotem suum data anno 1265, cujus hæc est finalis clausula: "Non scribimus tibi nec familiaribus sub Bulla, sed sub *Piscatoris annulo*, quo Romanus Pontifex in suis secretis utitur."

VI. Bulla verò juxta stylum Curia Romanæ sumitur pro litteris Pontificum plumbeo sigillo notatis, eorum Decreta continentibus.

VII. Originem hujus moris investigans Polydorus Virgilius lib. 8. *De Invent. rerum* cap. 2. ait satis constare Argonem in cera annulo impressisse sigilla: "Verum, ait, postea cum Rom. Pontifex multa irrogaret privilegia, & de Hadriano I. tabulas Apostolicas plumbo obsignari. Fuit is annus salutis 772. cum ipse Hadrianus factus est Pontifex: nam *antiquius* non reperitur sigillum plumbeum: quemadmodum constat, ante Carolum M. Imperatorem, litteras auro obsignasse Principum Romanorum neminem."

Vetustiora tamen diplomata Pontificum *plumbo* obsignata reperiri, asserit Dominicus Raynaldus Bibliotheca Vaticanæ custos apud D. Du Cange in Glossario suo Verbo *Bulla plumbea*. Et quidem Bullam plumbeam Sylvestri Papæ asserari in Archivo Aretino asserit; uti & Leonis I. Gregorii Magni, ac Sergii, vetustissima diplomata in papyro, ex fructe confecta, plumbo obsignata in Archivo Castris S. Angeli.

Observat quoque idem Raynaldus, in *plumbo* diplomatum vetustissimum Pontificum non impressas fuisse imagines Petri & Pauli, sed tantum illius Pontificis nomen, cuius litteræ obsignabantur. Vetustiorum quippe usque adhuc Bullam cum imaginibus Petri & Pauli non se reperisse ait, quam sub Hadriano IV. qui 1153. vixit.

VIII. Quidquid sit de antiquitate ritus hodierni obsignandi Litteras Pontificas, quas hodie *Bullas* dicimus, illud constat, *Bullas* à litteris in forma *Brevis* in hoc à se mutuo differre, quod Bulla sigillo *plumbeo* pendente quidem ex *chordis sericeis*, si sit *Bulla gratiosa*, si verò sit *justitia*, ex *filo canabes*; Breve verò sub *Annulo Piscatoris* expeditur.

IX. Circa membranas quoque characteris differentia est. Pro Brevis enim in usu sunt membranæ subiles & albæ; pro Bullis autem membranæ magis nigrae & grossæ.

X. Brevia scribuntur in characterè latino, nitido & eleganti ac intelligibili; in Bullis autem (ait de Luca) retinetur antiquus stylus characteris gallici, eò quia in Gallia de tempore, quo Sedes Apost. residentiam habebat in Civitate Avenionensi, magis præficari cœperunt reservationes, & affectiones Apostolicæ Beneficiorum, cum expeditione Bullarum, & cum solutione Annatarum aliorumque emolumentorum."

XI. Adhibetur etiam in Curia vocabulum *Brevium* in illis expeditionibus, ait De Luca, quas concedit Tri-